



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominicæ: De hydropico curato Luc. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

18. hebd.
post
Trinit.

Dominica XVII. post Trinitatem.

I. De Hydropico curato. Luc. 14.

I. **C**um intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorū Sabbatho manducare panē, & ipsi observabant eum. Magna fuit dignatio Christi cū publicanis & peccatoribus manducantis: at maior eiusdem se à Pharisæis infensissimis hostibus & calumniatoribus inuitari permittentis, vt sic hydropici, quem sciebat sibi proponendū, hydropis in corporalem, & illorum, à quibus is calumniandi gratia proponebatur, spiritualem curaret, idque ex gratuito dilectionis & cōmiserationis affectu. Zelus in operibus misericordiæ corporalibus & spiritualibus quauis occasione frequentandis.

II. Præsentato sibi hydropico, quæritum Sabbatho curate liceat; illis tacentibus eundem sanat, & sanare die Sabbathi licere, allato simili, de asino in foueam cadente, probat. Quanta mansuetudo Domini tam malitiosam eorum

eorum calumniandi libidinem, non acriter exagitantis, sed tam modestè simul & solidè refutantis! Quanta charitas non solum hydrophysin huius afflicti corporalem benignè sanantis, sed spiritualem eorum multò periculosiorem sanare avidè desiderantis! O si scires, quàm grauis & horrenda sit hydrophis animæ superbia tumentis, perpetuâ siti opam, honorum, voluptatum æstuantis, quantoperè illam horresceres, quàmque sollicitè præcaueres! Quantum beneficium ab illa liberari, aut præseruari æstimares! Manuetudo, horror superbiæ, & mortificatio inordinatarum concupiscentiarum, quarum sitis nunquam extinguitur.

III. Ut efficacius Phariseorum superbia inflatorum spiritualè hydrophysin sanaret, subdit parabolâ: *Cum inuirtatus fueris ad nuptias, recumbe nouissimo loco.* Quisquis cupit ab inflatione mentis liberari, aut præseruari, gratis in hac vita ditari, gloria in altera sublimari, nouissimū locum semper eligat, nulli se præponat, vilissimum omnium se reputet. *Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, & omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exal-*

1. Pet. 5.

exaltabitur. Insuper se contemni & vilissimum reputari gaudeat, crebro inspicendo Christum amore nostri fieri dignatum nouissimum virorum; Paulum reputantem se primum peccatorum & minimum Apostolorum, Dauidem se aestimantem canem mortuum & pulicem viuum; Sanctos reliquos sanctitate eximios agnoscentes putum purum suum nihilum. Profunda humilitas, sui que despicientia.

H.

De diuini verbi Observatoribus, matris & sanguine iunctis, à Christo praelatis, Matth. 12. Luc. 8.

Marc. 3.

Luc. 8.

I. *Venerunt ad Iesum Mater & fratres eius, & non poterant audire eum pro turba, & nunciatum est illi. Mater tua & fratres tui stant foris volentes te videre.* Christo in domo quadam concionante ad turbas, B. Mater aliàs ordinariè Filium prædicantem sequi solita, superueniens cum eius consobrinis & cognatis præ modestia non indecorè eum interpellauit, sed foris stans verba gratiæ, quæ procedebant de ore eius, reuerenter audiuit. Quanto humilitatis & deuotionis affectu, quanto